

consensum patris; ergo filio, necesse est, aliquod dominium in hoc peculium competat.

R. D. Ant. Citra consensum *expressum* patris C. etiam generalem et interpretativum N. Hic requiritur, et praesumitur, si paciscatur in causa patris. E tali vero pacto pater solum *peculiotenus*, filius *in solidum* obligatur. Ac quidquid filius ex causa talis peculii acquirit, statim patri etiam ignorantia acquiritur L. 2. §. 5. L. de A. vel A. Possess.

315. Dico II. Peculium *adventitium* est, quod filio ex alia, quam patris, causa, veluti liberalitate matris aliorumve, vel propria industria, vel prospera fortuna advenit, §. 1. Inst. h. t. Talia bona sunt materna, linea materna, ex haereditate per lineam maternam: relicta filio titulo haereditatis, legati, donationis citra respectum patris, §. 1. Inst. per quas pers., inventa, dona sponsalitia, ac nuptialia.

Dominium proprietatis hujus peculii filio soli, administratio vero ususfructus patri *regulariter* competit, L. 6. et 8. C. de bon. quæ liber. Dixi, *regulariter*; nam aliquando et administratio et ususfructus simul, proinde peculii adventitii dominium plenum penes solum filium est. Unde passim a Jurisconsultis peculium adventitium dividitur in *regulare*, et *irregulare*; sive *ordinarium*, et *extraordinarium*. *Regulare* erit, si ususfructus hujus peculii et administratio ad patrem pertineat; *irregulare* et *extraordinarium*, si simul hæc, adeoque peculium hoc pleno jure filii sit.

Sic vero peculium hoc erit pleno jure filii: 1º. Si quid ea lege relinquatur filio, ne ususfructus ad patrem pertineat, Nov. 117. c. 1. 2º. Si filius haereditatem adeat renuente patre, L. ult. pr. C. de bon. quæ liber. 3º. Si filius una cum patre in bona successit; ut si pater cum filio vivente succedat alteri filio defuncto; tunc enim in portione filii cohæredis ususfructum non habet, Auth. Item haereditas. C. de bon. quæ liber. Nov. 118. c. 2. 4º. Si pater sponte ususfructum remittat, L. 6. §. 2. de bon. quæ lib. His porro casibus in jure expressis adjungi possunt et illi, in quibus patria potestas ipsa solvitur.

Demum observandum, de jure *provinciali Franconico* non solum patri, sed etiam matri ususfructum in bonis liberorum adventitiis *regulariter* concedi, licet solum quoad tempus, quamdiu videlicet liberi vel per matrimonium, vel receptionem suæ legitimæ, aut alio modo a mensa paterna separati non sint.

ARTICULUS IV.

AN FILIUSFAMILIAS DE PECULIO ADVENTITIO EXTRAORDINARIO TESTARI POSSIT?

316. *Præmitto*. Diversa filiorum peculia paulatim invaluisse. Jure Digestorum tantum profectitium et castrense dabantur, solumque de castrensi testari poterat. Postea idem filio in peculio quasicastrensi concessum est, L. 37. C. de inoffic. Test. Tandem peculium adventitium inductum, ordinarium sive *regulare* quidem a CONSTANTINO imperatore, L. 1 et 2. C. de bon. matern., L. 1. C. de bon. quæ liber. Extraordinarium, L. 6. L. 7. L. ult. C.

de bon. quæ lib. Extensumque ad casus plures, Auth. Item haereditas C. eod. Nov. 117. Nov. 118 cit. præc.

In præsentī vero quæstione certa sunt sequentia, 1º. filiumfamilias de castrensi, quasicastrensi testari posse citra omnem consensum patris, L. 30. C. de inoffic. Testam., L. 4. 8. 14. C. de Advoc. divers. judic. 2º. Non posse eum testari de peculio adventitio ordinario vel regulari. 3º. Multo minus de profectitio. 4º. Posse eum testari de peculio adventitio ex consensu patris ad causas pias, c. Licet pater. de sepult. in 6. Sola igitur controversia est de adventitio extraordinario ad causas profanas.

317. Dico. Filius, nequidem consentiente patre, de peculio adventitio extraordinario ad causas profanas testari potest.

Prob. I. Ex L. penult. C. qui Test. fac. poss. ubi ait Imperator: Nemo ex lege (nimirum 6. §. 2. 8. §. 5. c. de bon. quæ lib.) quam nuper promulgavimus, existimet, aliquid esse innovandum, aut permissum esse filiofamilias, cujusque gradus, vel sexus, testamenta facere, sive cum, sive sine consensu patris (en peculium adventitium extraordinarium, dum filius possidet sine consensu patris, ut, dum haereditatem patre invito adiit) bona possideat; nullo etenim modo hoc ei permittimus; sed antiqua lex per omnia conservetur, quæ filiofamilias non nisi in certis casibus (scilicet peculio castrensi et quasicastrensi) testamenta facere concedit.

Ex qua lege sic argumentor: in L. 8. §. 5., erat inductum peculium extraordinarium, si scilicet filius sine consensu patris haereditatem adeat: item in L. 6. §. 2. si pater filio ususfructum remittat; sed ad has leges se refert Imperator (ac quidem ad L. 8. verbis ipsis, sive sine consensu patris bona possideat; ad L. 6. vero, quia hæc L. 6. integro biennio prius, scilicet anno 529. altera autem L. pen. C. qui Testam. fac. anno 531. condita fuit) aitque, nullo modo filio permissum esse, de eo peculio testari; ergo hic de peculio adventitio extraordinario testari non potest.

318. Prob. II. Ex Inst. quib. non est permiss. fac. Test. pr. ubi rursus Imperator: Præter hos igitur, qui castrense, vel quasicastrense peculium habent, si quis alius filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est, licet suæ potestatis factus decesserit; ergo. Ac ne quis textum de peculio regulari et ordinario velit accipi; vel pro casu, quo dissentit pater, obstat 1º. quod illa distinctio gratis et sine fundamento fiat, imo contra verba clara textus, quibus omne aliud testamentum pronunciatum inutile: si quis alius, etc. id est, quicumque alius. 2º. Quod testamenti factio sit juris publici, L. 3. ff. qui Testam. fac. poss. ea autem, quæ sunt juris publici, privatorum pactis immutari non possunt, L. 7. §. 14. ff. de Pact. ac L. 38. ff. eod.

319. Prob. III. Jure Digestorum nequidem cum consensu patris filiusfamilias testari potuit; ergo neque jure novo. Prob. Cons. Ideo primum; quia filius non poterat interesse comitiis, in quibus fiebant testamenta Romanorum civium; nec bona possidebat propria, excepto peculio castrensi; neque habebat familiam, cum hæres esse debebat, dicebaturque *emptor familiae*; nec habebatur pro patrefamilias. At licet jure novo cessent duæ rationes primæ in peculio extraordinario, nusquam tamen in hoc habetur

pro patrefamilias, nec habet familiam; ergo, cum eatenus jus antiquum correctum non sit, adhuc stare censendum est, juxta brocardicon: *quod non mutatur, cur stare prohibeatur*; ac *L. 32. §. 6. C. de Appell.* ubi in simili dicitur: *quidquid hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant.* Unde

320. *Prob. IV.* De forma substantiali testamenti est, ut quis paterfamilias sit: sed nulla lex afferri potest, quæ filiumfamilias in peculio adventitio, etiam extraordinario, haberet pro patrefamilias; ergo. *Maj. constat ex L. 12. Tabul.* ubi de solo patrefamilias dicitur: *uti super familia, pecuniaque sua legasset, ita jus esto.* Patet etiam ex *L. 3. §. 1. C. qui Testam. fac. poss.* Hæcque ultima ratio est, cui ipsæ allatæ leges innituntur.

321. *Obj. I.* Minor, licet sit curatoris potestati subjectus, testari potest; item, qui habet directum dominium, ut, si fundum dederit in emphyteusim, vel feudum; ergo etiam et multo magis filiusfamilias de extraordinario peculio. *Conf. 1.* Quod filius testari non possit, effectus est potestatis patriæ: sed hunc pater remittere potest; quisquis enim suo juri renunciare potest, *L. penult. C. de pact. Conf. 2.* Testari potest de peculio castrensi; ergo et de adventitio extraordinario: ideo enim primum, quia illud pleno jure possidet; at sic etiam adventitium extraordinarium possidet.

R. Ad 1^{am}. C. Ant. N. Cons. Quia minor est vere paterfamilias ac nullo jure testari prohibetur, nec excipitur a regula, qua puberi sui juris testari permittitur.

R. Ad 2^{am}. D. Si dominus directus sit paterfamilias *C. secus N. Ant. et Cons.*

R. Ad Conf. 1^{am}. N. a patre hunc effectum remitti posse; quia testamenti factio juris publici est; nisi pater ante emancipare velit filium; sed hoc ipso ut paterfamilias testabitur. Illud ex *L. penult. cit.* de aliis, non de his, quæ juris publici sunt, procedit.

R. Ad Conf. 2^{am}. C. Ant. N. Cons. et huj. prob. Sed vera est ratio, quod in peculio castrensi sit paterfamilias. Unde et leges expressam de hoc testandi facultatem tribuunt, quas vid. *Art. præc.* At contrarium est quoad adventitium extraordinarium.

Inst. 1. Etiam in adventitio habetur pro patrefamilias. *Prob.* Testamenti factio est juris publici ex dictis; sed filius in iis, quæ sunt juris publici, habetur pro patrefamilias. *L. 9. ff. de his, qui sui, vel alien. jur., L. 14. ff. ad Senatusconsultum Treb.*

R. N. Ant. Ad prob. D. M. Testamenti factio est juris publici auctoritate tantum *C. alio sensu N. et D. min.* In iis quæ sunt juris et *muneris publici*, filius habetur pro patrefamilias *C.* quæ sunt tantum auctoritate juris publici; *N.* Quatuor modis potest aliquid esse juris publici. 1. fine, sive utilitate; 2. auctoritate; 3. forma, sive solemnitate; 4. munere, sive officio, ut magistratus, etc. et quoad hoc habetur pro patrefamilias, qui potest esse iudex, tutor, etc. juxta *9. L. cit.* non vero quoad ea, quæ juris publici auctoritate sunt.

322. *Inst. 2. L. 1. ff. ad senatusconsultum Silan.* statuitur, ut Senatusconsul-

tum Silan. (quo jubetur hæres vindicare mortem defuncti, ut non ante adire hæreditatem queat, quam de morte defuncti fuerit habita quæstio) extendatur in casum, quo defunctus erat filiusfamilias qui occisus fuit, ut hæres ejus mortem vindicare debeat; ergo cum nullus filiusfamilias hæres esse possit, nisi ex testamento, colligitur, quod filiofamilias condere testamentum licuerit.

R. Hanc legem debere intelligi, si filius de castrensi peculio testatus fuerit; tunc enim poterat filiusfamilias habere hæredem. Imo, cum pater, si filio occiso sine testamento decedente, bona filii castrensia *jure peculii* occupavit, deberet mortem vindicare filii, *L. 1. cit.* commode intelligi poterit de casu, quo pater una cum filio occisus; tum enim hæres vi *L. cit.* mortem patris et simul filii vindicare debet; eoque solum sensu dici potest, quod lex velit hoc senatusconsultum extendi etiam ad casum filiofamilias occisi; quin testari potuerit filius.

323. *Inst. 3. L. 50. ff. ad senatusconsultum Trebell.* jubetur pater restituere hæreditatem filio, hinc in ea comparatur militi; ergo de hac testari poterat, sicut miles potest; ergo et paterfamilias in ejusmodi bonis est.

R. D. Ant. Comparatur militi quoad omnia, testamenti factionem *N.* tantum quoad aliquos actus inter vivos *C.* Hos vero Imperator immediate subdit: *si scilicet res a possessoribus peti, vel etiam cum debitoribus agi oporteret.* In aliis igitur filium militi non comparat. Cæterum casus hujus legis erat hic: pater erat hæres fiduciarius, filius autem fideicommissarius, ut patet ex *pr. L. cit.* Sed pater multa in fraudem fideicommissi moliebatur, unde jubetur filio statim restituere hæreditatem, quo huic hac ratione consuleretur, ne fraude patris damnum incurreret, et filium simul comparat militi, *si scilicet res a possessoribus peti, vel etiam cum debitoribus agi oporteret*; non ultra; patri vero officio judicis emolumenta præstari voluit ex accessionibus hæreditariis. Unde casus *L. 50.* non est cum nostro omnino idem.

324. *Obj. II.* Per *Nov. 117. c. 1. §. 1.* filiusfamilias potest de iis bonis, quorum ususfructus penes patrem non est, quo velit modo disponere; ergo et testari.

R. D. Ant. Per actus inter vivos *C.* per actum ultimæ voluntatis *N. Nov.* loqui de dispositione inter vivos et bonorum eorum administratione, patet 1^o. ex textu græco, in quo non verbum *διαθεσται*, quod disponere per actum ultimæ voluntatis significat, reperitur; sed *διοικεῖν*, quod domesticam solum dispositionem sonat. 2^o. Ex eo, quod in *Nov.* ibi dicatur: modo filiusfamilias *perfectæ ætatis* sit, hoc est, annorum 25.: sed ad testamenti factionem non requiruntur anni 25., sed tantum pubertas, sive anni 14. 3^o. Quia subjungitur: *quod si non sit perfectæ ætatis*, debeat ei gubernator, vel curator dari, quibus utique ad testamenti factionem non indiget.

325. *Inst. 1.* De hoc, quod quis de re pleno jure sua possit per actus inter vivos disponere, non erat dubium; ergo Imperator nihil novi ibi statuisset, nisi dicamus, voluisse eum filio concedere testandi facultatem.

R. N. Cons. Hoc novi statuit 1^o. quod quilibet possit filiofamilias sive per

actum inter vivos, sive ultimæ voluntatis aliquid relinquere sub conditione, ne ususfructus ad patrem perveniat. 2º. Quod quilibet possit patri administrationem ita filio relictorum adimere aliumque gubernatorem, vel administratorem constituere, si filius nondum *perfectæ ætatis sit*, cum alioquin ususfructus et administratio pertinisset ad patrem. *L. 6. §. 2. C. de bon. quæ lib.*

326. *Inst. 2.* Si potest filiusfamilias de peculio adventitio extraordinario per actus inter vivos disponere, etiam poterit per ultimam voluntatem. *Prob.* quia hæc argumentatio ab actu inter vivos ad actum ultimæ voluntatis subsistit, juxta *pr. Inst. de Leg. Fus. Canin. toll.*

R. N. seq. Prob. D. Subsistit, si eadem subsit ratio, et subin requisita personæ habilitas *C.* Si hæc non subsint *N.* Ratio, cur filius de peculio hoc testari non possit, est, quia ad testamenti factionem requiritur, ut quis paterfamilias sit: talis vero hic non est filiusfamilias; ergo. Ut quis vero per actus inter vivos disponat, illud non requiritur, sed plenus sit rei, de qua disponit, dominus, nec aliunde a lege impediatur; sed tale dominium habet filiusfamilias in peculio hoc extraordinario. In *pr. Inst. de L. Fus. Canin. toll.* nullum definitur substantiale requisitum ad factionem testamenti, vel, de quibus ibi agitur, servos manumittendos; sed cum *L. Fus. Canin.* non permetteret, ultra certum numerum servos in testamento libertate donari; e contra per actum inter vivos omnes manumitti concederet, indignum judicabat Imperator hoc non licere per actum ultimæ voluntatis, quod licebat per actum inter vivos, at præscindendo a modo et solemnitatibus, quibus actus ultimæ voluntatis fieri debeant; vel dici potest: quod Imperator voluerit, tot posse servos manumitti testamento suppositis supponendis, ut, quod quis sit habilis ad testandum.

327. *Inst. 3.* At *Nov. 22. c. 26.* ubi de peculio adventitio agitur, ait Imperator de filiis: sive disponant, sive intestati moriantur; ergo censuit filios de hoc peculio posse æque disponere per actum ultimæ voluntatis, quam inter vivos.

R. D. Cons. Filios factos sui juris, et jam quasi patresfamilias *C.* secus *N.* In *cit. Nov. c. 26.* supponitur pater fuisse mortuus, ut patet ex verbis: *præmoriante genitore*, consequenter filius jam sui juris factus poterat tam per testamentum, quam inter vivos disponere. Deinde hoc argumentum probaret nimium; loquitur enim *Nov.* de peculio adventitio ordinario, de quo tamen certum est, testari non posse filiumfamilias.

328. *Inst. 4.* Etiam Imperator hoc censuit de filiis, qui nondum sui juris sunt. *Prob. ex Nov. 115. c. 4.* qua edicatur, quod filii non possint præterire suos parentes in iis, in quibus testandi facultatem habent; sed hæc *Nov.* debet intelligi de filiisfamilias vere adhuc talibus, et de peculio adventitio extraordinario; ergo. *Prob. min.* primum; quia per se constat, emancipatos testari posse de bonis omnibus: alterum; quia in peculio castrensi vel quasicastrensi filii non tenentur instituere parentes hæredes, *L. fin. C. de inoff. Test.*

R. N. Ant. et prob. Nov. intelligi debet de peculio castrensi vel quasi, quod etiam in his bonis liberi parentes præterire non possint. Patet hoc

etiam ex posteriori *Nov. 123. c. 19.* vi cujus *clerici* debent parentibus legitimam relinquere in bonis intuitu clericatus obtentis; hæc vero bona peculii quasicastrensis sunt.

Neque obstat *L. fin. cit.* qua asseritur, quod querela non possit moveri contra testamentum de peculio castrensi, vel quasicastrensi conditum; nam lex illa per has ipsas *Novellas 115. 123.* correctæ est, hæcque posterior quidem correctionem solemnem prorsus supponit, cum simpliciter jubeat legitimam parentibus relinquere; ita *Gloss.* et principes juris interpretes *Barr. Jason. Alex. ad L. fin. C. de inoff. Test. ac Auth. ex causa C. de lib. præterit.*

329. *Inst. 5. L. 34. Auth. Presbyt. et Diacon. ex Nov. 123. cit.* datur hoc clericis filiisfamilias, ut de rebus *quolibet modo* ad se pervenientibus testari possint; ergo non tantum de rebus quasicastrensibus testari permittuntur; ac consequenter idem filiisfamilias cæteris concessum censeri debet.

R. 1º. N. Cons. et suppos. quod hæc verba *quolibet modo* respiciant bona quæcumque, etiam non intuitu clericatus obvenientia, ut peculium adventitium seculare; sed solum bona ob clericatum obtenta afficiunt, ut sensus sit: quolibet modo ex clericatu ea obtinuerint, sive quocumque clericali officii modo, sive industria, sive labore in ministerio clericali, lectione *Missarum*, cantu, etc.; clare enim *cit. L.* edicatur, quod *tantum* de bonis intuitu clericatus obtentis possint testari.

R. 2º. Etsi daremus gratis, hoc speciale privilegium datum fuisse clericis, non ideo ad non clericos extendi deberet.

330. *Obj. III. L. ult. §. 5. c. de bon. quæ liber.* ita ordinatum extat: *in his duntaxat bonis, in quibus ususfructus apud patrem est constitutus, donec parentes vivant, nec de iisdem rebus testari permittimus;* ergo a contrario in his, in quibus ususfructus penes patrem non est, velut in peculio adventitio extraordinario accidit, testari possunt.

R. 1º. Quod Jurisconsultorum consensu argumentum a sensu contrario non valeat, ubi textus alii in contrarium sunt; uti hic *L. pen. C. qui testam. fac.* et aliæ pro *Conclus. allatæ.*

R. 2º. N. Cons. Quia cum *cit. L.* conderetur extra casum honorum castrensiæ, vel quasi unus tantum erat casus, quo patri non acquirebatur ususfructus in bonis adventitiis filii, scilicet si hic citra aut contra consensum patris hæreditatem adiisset, ut habetur *L. ead.;* et quia raro hoc contingebat, lex ea intelligebatur de bonis adventitiis simpliciter; at cum postea variis aliis modis patri non acquireretur ususfructus in bonis filii adventitiis, ideoque invalesceret quæstio, an filiusfamilias testari posset de peculio adventitio extraordinario, Imperator tandem questionem decidit in celebri *cit. L. penult. ac suæ decisioni inhæsit pr. Inst. quib. non est perm. fac. test.*

331. *Obj. IV. Per L. 30. ff. de inoffic. Test.* pater poterat querelam movere contra testamentum sui filii naturalis in adoptionem dati; ergo ille filiusfamilias poterat condere testamentum; quivis enim adoptatus, jure Digestorum, in patris adoptantis potestatem transibat, et querela *inofficiosi potestatem testandi* in defuncto supponit.

R. C. A. D. Cons. Ergo ille filiusfamilias adhuc qua filiusfamilias poterat condere testamentum N. Filiusfam. emancipatus C. Lex cit. intelligenda est de casu, quo filius ex adoptione iterum emancipatus fuit; ut: Mævius filium suum naturalem dedit in adoptionem Caio, quo facto filius transivit in potestatem Caii (jure novo, si Caius esset unus ex ascendentibus; jure Digestorum autem etsi fuisset extraneus) adoptione durante filius in potestate Caii constitutus testari non potuit: sed postea a Caio emancipatus fuit, testamentum condidit, patre naturali Mævio exheredato: quaeritur, an Mævius habeat querelam inofficiosi testamenti? ac respondetur in cit. L. affirmative; quia non filiusfamilias, sed emancipatus testamentum fecit.

332. Obj. V. Potest filiusfamilias per L. 25. §. 1. ff. de mort. caus. donat. consentiente patre donare mortis causa; ergo et, saltem consentiente patre, testari de peculio adventitio extraordinario. Prob. cons. Donatio enim mortis causa aequae species ultimae voluntatis est, quam testamenti factio, L. 4. C. de donat. mort. caus.

Observa, variare hic Jurisconsultorum sententias. Alii, ut HARPRECHT, SENETTI, affirmant, posse filiumfamilias donare mortis causa, licet non sit paterfamilias, quod hoc non requiratur ad donationem ejusmodi, cum adhuc sit species actus inter vivos; sicque donasse dicatur L. 25. ff. de mort. caus. donat. istud tamen exigunt, ut de consensu patris fiat donatio. Alii cum VINNIO, quod etiam citra consensum patris donare possit mortis causa, contendunt, eo quod omnis dispositio inter vivos de peculio extraordinario concessa sit filiofamilias; donatio autem mortis causa sit quoad modum actus inter vivos. Sed his missis

R. N. Ant. Quia donatio mortis causa ab Imperatore legatis adaequata est, L. fin. C. de donat. mort. caus. Et regula generalis est, quod, qui testari non potest, neque mortis causa donare possit; proinde sicut, consentiente licet patre, testari non potest, sic neque donare mortis causa, L. 6. ff. qui test. fac. poss., L. 6. §. 3. ff. de Jur. Codicill., L. 1. ff. de Tut. et rat. distr.

Neque obstat L. 25. ff. de mort. caus. donat. ubi filius donasse mortis causa dicitur cum consensu patris; illa enim donatio non de peculio adventitio extraordinario, sed profectitio facta censi debet, quia tempore Digestorum aliud non erat notum quam profectitium et castrense; de castrensi vero etiam sine consensu patris donare potuit; dum autem de profectitio donasse dicitur cum consensu patris, potius pater censetur donasse per L. 9. §. 2. ff. de donat. sicque filius tantum instrumentum fuit, sicut si alius rem meam meo donaret nomine. At donatio mortis causa stricte dicta, quae absenti et ignoranti fit, a filiofamilias fieri nequit, aequae parum quam legata, ad quorum exemplum ferme per omnia redacta est, L. 15. 17. 35. 37. pr. ff. h. t. L. fin. C. h. t. Unde insinuatione non indiget, L. fin. cit. Dominium transfert, etsi revocabile, dum donator vivit, L. 29. et 30. ff. h. t. Nec nisi quinque adhibitis testibus fieri potest, L. fin. §. ult. C. de Codic. In ea locus substitutioni est, L. 10. ff. L. 1. C. h. t. Cautioni Mucianae, Nov. 22. c. 44. Juri accrescendi, L. un. §. 14. C. de ead. toll. Quin Falcidia, L. 2. C. h. t.

ARTICULUS V.

QUID DOMINII AC JURIS COMPETAT PUPILLIS AC MINORIBUS? AC SIMUL DE TUTORIBUS ET CURATORIBUS.

333. Praemitto. Homines ab aetate dividi in impuberes ac puberes. Impuberes in sensu juris civilis sunt, qui determinatam a jure aetatem nondum expleverunt, quae diversa est pro maribus ac feminis; impubes mas est, qui nondum decimum quartum aetatis annum; impubes femina, quae nondum duodecimum perfecte explevit. Determinavit hoc tempus ipsum jus pr. Inst. quib. mod. tut. fin. ac alibi, eo quod plerumque ante id aetatis non soleat adesse habitudo ad generandum. Unde hoc ante tempus, etsi malitia suppleret aetatem, hoc est, etsi hic et nunc citius adesset generandi potentia, nondum homines impuberes capaces sunt ad effectus illos civiles, quos jus puritati adnexuit. Puberes autem sunt, quam primum dictos annos egressi fuerint.

Impubes ante expletum aetatis septennium in jure infans, L. 14. ff. de Spons., L. 1. ff. de adm. Tut. dicitur, ex praesumptione generali, quod communiter ante eam aetatem usu rationis homo non polleat. Naturaliter loquendo alias infans est, qui sufficientem rationis usum non habet ad discernendum a malo bonum, licet septenni major sit; uti e contra hoc sensu infans non est, in quo rationis usus legale septennii tempus antevertit.

Impuberes patre orbatu pupilli vocantur, si utroque parente privati, orphanu, qui tamen, quoad effectus juris, priorum nomine simul veniunt; puberes vero patre destituti ab anno 14. completo usque ad 25. minores, vel minorennes dicuntur; ac tandem a perfecte expleto 25. aetatis anno majores, sive majorennes, attento jure communi, Tit. ff. ex quib. caus. Maj. in integr. rest. nisi ante veniam aetatis impetraverint a summa potestate, vel eo, cui hoc summa potestas concessit, ut Comite Palatino, L. 1. 2. 3. C. de his, qui ven. aet. impetr.: quam veniam vi juris comm. Rom. impetrare possunt masculi, cum sunt 20.; feminae, cum 18. annorum sunt, L. 2. cit.; cum enim feminae biennio citius a tutela liberentur, quam masculi, cur non etiam, si velint, prius a cura liberari possent, praesertim cum non tam non prodiga, quam suarum rerum tenaces, ad illasque praesertim masculis attentae esse soleant. Caeterum jure provinciali hic illic minor aetas quam 25. annorum ad majorennitatem sufficit: sic jure Saxonico sufficiunt anni 21. Praeterea in Imperio filii Principes Electores vi Aureae Bullae anno 18. aetatis majorennes evadunt; ac quidam alii Imperii Principes ex privilegio Caesareo.

334. Dico I. Pupilli, etsi veri sint rerum suarum domini, de iis tamen pro arbitrio sine auctoritate tutoris disponere non possunt.

Prob. 1^a pars. Pupillus enim verus haeres est defuncti patris, in hujus igitur jus et dominium succedit; unde ad Gal. 4. ait Apostolus: Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium. Nec obest veritati dominii, quod pupillus pro suo placito nequeat de rebus suis eas alienando disponere; hoc enim non ex defectu dominii, sed sufficientis usus rationis ad res debite administrandas requisiti oritur, qua de causa jura illud pupillo non permittunt. Deinde disponit de rebus suis per tuto-